

DEL SIGNOR D. NICOLÒ CAPASSO
 Regio Professor Primario di Leggi
 A GIAMBATTISTA VICO.



HÆc patriæ, & nostris deerant solatia votis,
 O patriæ, & nostri, VICE diserte, decus,
 Ut, tua sedulitas quod amico fidere germen
 Haec tenus ingenuis artibus excoluit,
 Prospiceretque sibi, serisque relinqueret annis
 Stirpis honoratae pignora digna suae.
 Extulit hanc Patrum vicitricibus. inctytas armis,
 Nobilitatque tuus fortia facta liber:
 Praestat oliviferae nunc crescere Palladis artes,
 Caesaris & pacem, dona fovere juvat.
 Sat ferus Europæ discerpit viscera Mavors,
 Nunc Astraea tuis est opus imperiis.
 Ergo CARAPHAEUM cum facta est surculus arbor,
 Par erat hanc fructus dulce gravaret onus.
 Cernis, ubi externis vernant viridaria plantis,
 CYRILLUS medicae, quas colit, artis bonos;
 Exhibilarant ut fronde prius, dein flore magistrum,
 Dum fore perpetuum spem facit herba genus:


Se-

Semine si fallat matris reparante ruinam,
 Irritus is studii, quod colit, odit opus.
 Heic nihil aeternum est. sed rerum providus auctor,
 Qua potis est, homini vincere fata dedit.
 Dum viget incolumis virtutis imago paternae,
 Se, putat ex aliqua vivere parte pater.
 Est quaedam natos anima fugiente voluptas
 Adspicere, & patriae consuluisse placet.
 Quamque ferebat opem populo mentisve, manusve,
 Foenore multipliceim reddere mente, manu.
 Nos ea cura manet, non Orbi linquere noxas,
 Degeneresque vicem ne subeant animi.
 Prorsus honesta domus connubia quaerat honesta,
 Undique sic fortes sanguis uterque creat.
 Non solet aequales genere, ac virtute parentes
 Nactus, in adversas natus abire vias.
 Dii geniti Dii sunt. sed ut impar extitit alter,
 Conditione minor vel Jove natus erit.
 Hac in parte tuo quis cautius egit alumno?
 Contigit an magnos dignior ulla Lares?
 Cui non nota domus BORGHEZIA? non decus Urbis
 Tybris, at Euphrates, Nilus, & Ister alit.
 An morata magis fuit expectanda? sed aequat
 Romulidum prisca probitate nurus.

N

Quod

Quod super optandum est, ut cui par obtigit uxor,
 Par sit amor, nati sint & utriusque pares.
 Sic voveo ex animo, in quo est ut dictio, simplex.
 Qui cupit alta, tuo quaerat ab ille penu.



RI-